



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. VI. Non videt Deus sua decreta ut futura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)

& virtute in Deo, nisi secundum earum esse essentia, quatenus Deus complectitur omne, quod est perfectionis in essentia creata, & potest illam essentiam creatam ponere in esse existentia: quod autem res erit, vel non erit, seu ista complexio existentia creatae cum essentia, pendet ex libera determinatione divinae voluntatis, ex qua non pendet virtualis & eminentialis continentia creaturarum in Deo, quae non est contingens & libera, sed plane necessaria: igitur continentia virtualis & eminentialis creaturarum in Deo non sufficit, ut in illo videatur, seu secundum esse existentia cognoscantur.

Respondet Smil. sup. eminentialem continentiam rerum creatarum non esse in Deo proximam & formalem rationem eas representandi, sed remotam & fundamentalem; proximam autem & formalem esse infinitam vim divinae essentiae ad representandum omne verum, à quacumque causa veritas illa dependeat. Unde licet determinatio complexionis contingentis ad alteram partem non contineatur eminenter in Deo, ut probat argumentum, tamen propter eminentialem continentiam omnium incomplexorum in Deo, etiam in Deo est vis representandi complexiones, supposita earum veritate: cuius ratio est; quod eminentialis continentia omnis essentiae creatae in Deo inferat continentiam eminentialem omnis virtutis creatae, qualis virtus inter ceteras est, posse se representare intellectui, & cum illo causare perfectam & intuitivam cognitionem, quando creatura habet esse actuale: hoc ergo necessarium est, posse fieri à solo Deo, etiam ipso creato objecto nondum existente, vel postquam fuit aliquando. Sic ille.

Neque contradicit Scotus 2. dist. 3. q. 11. §.

Respondet n. 12. ubi sic ait: Tertiò dico, quod quantumcumque haberet (Angelus) concretam sibi notitiam singularis, & notitiam existentia contingentis; tamen cognitionem intuitivam singularium necessarium recipit à rebus: non enim omnis cognoscens existentiam alicuius, cognoscit ipsam intuitivè; quia potest ipsum cognoscere abstractivè. Nam cognitionem intuitivam singularium non potest habere in verbo, ubi tamen cognitionem existentia habet: & idè ad cognitionem intuitivam rei necessarium concurrat objectum reale, vel ipsa res ut praesens.

Resp. Felix sup. Scotus non loqui de Verbo divino, sed de verbo mentis creato, quod producitur mediante specie impressa à Deo infusa; nam requiritur praesentia objecti. Ita hic Auctor. Et statim inquit n. 11. an si per impossibile darentur aliqua futura, quorum Deus non esset causa, an illa Deus cognosceret: aliqui negant; quia si Deus non esset causa talium futurorum, non esset infinitus in essendo, & ita neque in representando, & sic illa non cognosceret.

Sed non placet (inquit ipse) primò, quia potest esse aliquid infinitum in representando, & non in essendo, v. g. species impressa, vel expressa Deitatis. Secundò, quia forsitan posset Deus non occurrere ad illud futurum, sed relinquere causas naturales, ut solum ipsae producerent

Tertius 1.

tale futurum, in quo casu Deus illud cognosceret, & non produceret. Tertiò; quia data hypothese, quod Deus sit infinitus in cognoscendo, & in representando, & non sit causa futuri, debebat illud cognoscere, alias non esset infinitus in cognoscendo. Hæc ille.

Equidem putant Nonnulli, de factò non concurrere Deum immediatè ad actus peccaminosos, quis autem dubitet, eos Deum cognoscere? Prædestinatione (inquit S. Aug. lib. de Prædest. SS. c. 10.) Deus ea præcivit, quæ fuerat ipse facturus, præcivisse autem potens est, etiam quæ ipse non facit, sicut quascumque peccata. Nam, ut ait idem S. Doct. l. 9. de Trin. cap. 10. Neque vitiorum nobis notitia displicet, sed ipsa vitia. Supposito itaque, quod Deus sit infinitus in cognoscendo & representando, manifestè sequitur, si sit causa, si non, debere illa futura cognoscere: nam infinitas consistit in hoc, quod omnia cognoscibilia cognoscat; tale autem futurum cognoscibile est.

Sed numquid rectè hinc sequitur: ergo decretum divinae voluntatis prius ratione, quam positum sit, à Deo cognoscitur ut ponendum? Etenim & illud futurum cognoscibile est. Idèque Nonnulli sentiunt, quod sicut Deus ante tempus, & ab æterno præcivit, quid voluntas creata volitura sit in tempore; ita in ipso nunc æternitatis indivisibili secundum rem, divisibili autem secundum signa rationis, prius ratione, quam voluntas divina se determinat ad alteram partem contingentis, & ita ad quam partem sit sese determinatura. Ego autem dico, eritque

CONCLUSIO VI.

Non videt Deus sua decreta ut futura.

Ita docet Smil. tract. 3. disp. 2. n. 95. Felix sup. diff. 7. n. 2. cum Aliis, quos citant, estque conforme Scoto, & Illis omnibus, qui nullam scientiam liberam ante decretum divinae voluntatis agnoscunt in Deo. Probatur autem ex D. Ansel. lib. de concord. c. 1. aliàs 2. ubi sic ait: Denique si quis intellectum Verbi propriè considerat, hoc ipso quod præcivisse aliquid dicitur, futurum esse pronuntiat. Non enim, nisi quod futurum est, præcivitur; quia scientia non est nisi veritatis. Sublimo: atqui divinum decretum pro nullo signo rationis habet esse futuri, ergo pro nullo signo rationis concipi à Deo potest tamquam futurum; & per consequens, nec præcivisse seu intuitivè videri, antequàm præsens sit. Consequentia est evidens; quia Deus non potest aliter concipere seu videre res, quàm sint: si, ut ait Ansel. Scientia non est nisi veritatis. Si ergo decretum reverà non est futurum, ut tale à Deo nequit videri.

Quod autè non habeat esse futuri, negatur ab Adversariis; & idè non supponendū, sed probandum restat. Probatur autem: quia (inquit Smil. sup. n. 97.) si divinum decretum haberet esse

169.

Etsi Deus non esset causa futurorum adhuc ea cognosceret. S. Aug.

170.

An Decretum divinum cognoscatur ut futurum.

171.

Smil. Felix. Scotus! Probatur ex D. Ansel. quod non.

172.

Decretum Dei non habet esse futurum. Smil. sup.

161.

Respondet Smil.

166.

Enim de-
termina non
contradicit
Scoto.

167.

Enim expli-
cat Julian.

168.

Potest ali-
quid esse
infinitum in
representa-
do, & non
in essendo,
ex eod.

169.

Enim expli-
cat Julian.

170.

Enim expli-
cat Julian.

esse futuri, haberet vel in sua entitate actuali, quod repugnat immutabilitati divinæ; vel in sua terminatione actuali, & hoc non, quia in terminatione non intelligitur futuritio, nisi intelligatur futuritio in termino; siquidem ordo prioris & posterioris in divino decreto, quoad terminationem, sumitur ex ordine dependentiæ & suppositionis inter objecta seu terminos decreti: atqui in termino divini decreti nulla intelligitur futuritio, prius ratione, quam decretum positum sit: ergo nec in terminatione divini decreti ulla intelligitur futuritio.

173. Minor probatur: tum quia terminus, siue objectum divini decreti est esse actuale futurum creaturæ, seu futuritio existentie creatæ: sed hanc futuritionem non habet existentia creata prius ratione, quam divinum decretum sit positum: ergo in termino seu objecto divini decreti nulla intelligitur futuritio prius ratione, quam divinum decretum sit positum. Tum etiam; quia si prius ratione, quam divinum decretum sit positum, objectum divini decreti haberet esse futuri, vel haberet ex dependentia ab alio objecto, vel ex dependentia à se ipso, secundum præsuppositionem ipsius esse essentia seu possibilis, ad esse actuale seu existentia: at non habet ab alio objecto: quia & possumus accipere primum objectum divini decreti, v. g. gloriam electorum; & si aliquid secundum accipiamus, v. g. gratiam & merita electorum, id non habet dependentiam à primo objecto, independentem à divino decreto, seu prius ratione, quam decretum illud sit positum; siquidem in exemplo dato, quod propter gloriam homini obtingerent gratia & merita, penderet à divino decreto, cum penes divinum arbitrium fuerit, hominem abique gratia & meritis ad gloriam perducere.

174. Nec habet objectum divini decreti futuritionem à seipso in esse essentia seu possibilis considerato, quia licet esse essentia seu possibilis supponatur ipsi esse futuri, sitque adeo prius ratione, non tamen prioritate præteriti ad futurum, ut quæ est prioritas positivæ & affirmativæ; illa autem solum est prioritas permissivæ & præcisivæ. Hæc præfatus Auctor.

Conclusio. Et concludit dicens: Quocirca clarum est, ni fallor, divinum decretum pro nullo rationis signo habere futuritionem, secundum quam possit à Deo præsciri, nec esse capax talis futuritionis, ut rationes oppositæ sententiæ falsæ supponunt; cuius sententiæ Auctores in eo sunt hallucinati, quod esse divini decreti conceperint ad modum esse creati, quasi quemadmodum hoc est capax futuritionis pro illo signo, quo nondum intelligitur determinatum ad futuritionem; ita etiam illud sit capax futuritionis: quod falsum esse ostendimus; quia talis capacitas à nullo posset reduci ad actum, nisi ab ipso decreto, quod implicat; cum nihil sit causa sui ipsius; capacitas autem esse creati ad futuritionem, habet à quo

reducatur in actum, nempe divinæ voluntatis decretum. Hucusque Theod. Satis diffusè.

Breviter autem Felix sup. Decretum (inquit) Dei in nullo instanti rationis est futurum: ergo non cognoscitur à Deo ut futurum. Antecedens probatur; nam vel decretum nihil addit supra actum necessarium Dei; & cum hic actus sit invariabilis, ergo & decretum; ergo non transit à futuro ad præsens. Vel decretum addit terminationem, vel respectum rationis, sed talis terminatio vel respectus non intelliguntur futura, nisi intelligatur terminus eius futurus; sed terminus non habet esse futurum, antequam sit actualiter. Respondetis; quod sicut decretum est futurum, ita terminus decreti, quod est futurum, erit etiam futurum. Sed contra: ponere futuritionem futuritionis est stultum. Rursus quia sic procedere possumus in infinitum, constituendo tertium, quartum, & quintam &c. futuritionem. Ita Felix. Et addit secundam probationem, dicens: futuritio solum invenitur in ordine durationis realis, & non in solo ordine rationis; nam in prioritate causalitatis seu rationis solum intelligitur ratio causalitatis, ergo in primo signo solum intelligit Deus ea, quæ pertinent ad rationem ipsius: ergo de decreto, cum sit actus liber Dei, & non constituat Deum, nihil cognoscitur: ergo quod sit futurum, vel non futurum non cognoscitur à Deo.

Accedat 3. probatio, ex eodem Auctore, ab inconvenienti: nam ex sententia opposita sequitur, non prius ratione esse Deum, quam decreta futura; ac per consequens quam res futura, vel saltem, quam futurum rei futuræ. Probatur sequela: nam in eodem signo, in quo intelligitur, Deum esse, debet intelligi decretum futurum, cum in secundo signo intelligatur decretum existens, & cum decretum futurum habeat necessariam connexionem cum re futura, secundum Adversarios, in eodem signo intelligatur futura, vel futura futurorum: nam sicut decretum existens habet connexionem cum futuro, decretum futurum habebit connexionem cum futuro futuri. Ex quo secundò sequitur, scientiam Dei futurorum absolutorum esse omnino necessariam, nam antecedit decretum; & esse simul cum scientia Dei de seipso; & ante scientiam possibilem, & conditionatam: nam istæ scientiæ sunt post scientiam Dei de seipso, & scientia decreti Dei, & termini ejus, est in eodem signo, ac est scientia Dei de seipso. Ergo ne ista inconvenientia admittantur, dicendum est, decretum Dei non cognosci, ut futurum. Hucusque Felix.

Ut autem hæc omnia melius intelligantur, & clarè dissolvantur argumenta partis adversæ. Nota 1. quod hic sit sermo non de antecessione aliqua reali, quæ nulla est in æternitate seu in Deo, in quo omnia sunt unum realiter, sed solumtaxat de antecessione secundum quædam signa rationis, non in quibus, id est, signa causalitatis successione secundum rationem; sed in quibus, ut loquuntur, id est, signa rationis, in quæ partitur ordinem divinæ providentiæ; quæ nihil.

Ejus objectum est futuritio existentia creata.

Non habet futuritionem ab alio objecto.

Negat de seipso.

Conclusio.

In quo sunt hallucinati Auctores.

nihilque aliud sunt, quàm quædam signa dependentiæ seu suppositionis inter ejusdem providentiæ objecta; ita ut ad illud prius ratione dicatur terminari actus scientiæ, aut voluntatis Dei, quod est scitum, aut volitum independentem ab alio; aliud verò est scitum, aut volitum dependentem ab illo, v.g. intellectus divinus prius terminatur ad essentiam rei, quàm ejusdem existentiam, eò quod existentia supponat essentiam; & voluntas prius terminatur ad gloriam prædestinati, quàm ad gratiam, quia ad gloriam terminatur secundum probabilem sententiam, de qua suo loco, independentem à gratia; ad gratiam autem dependentem à gloria secundum ordinem intentionis.

178. Nota secundò: per decretum, ut tale, illum solum actum voluntatis divinæ intelligi, quo Deus discernit, alteram partem complexionis contingentis fore, aut non fore; adeòque nequit intelligi hoc esse actuale creaturæ absque dependentia à divino decreto, quod tamen, ut terminatur ad esse actuale, supponit seipsum in esse possibile; hoc est, potest accipi decretum semel ut ponibile, & semel ut positum; non quidem secundum entitatem, sed secundum terminationem liberam ad objectum contingentem. Verum hæc prioritas live præsuppositio non est præteriti & futuri, sed abstrahit & præcendit ab his determinationibus, etiam secundum rationem. Quod inde patet, quia ut quidpiam in aliquo instanti intelligatur determinatè futurum, debet concipi, ut jam habens esse determinatum ad futuritionem; sed in illo instanti rationis, pro quo concipitur ut possibile, vel ponibile, non habet tale esse; quia etiam non futurum accipitur ut possibile, vel ponibile; ergo in illo instanti præcisè, pro quo accipitur creatura, vel terminatio divinæ voluntatis ad creaturam, tamquàm possibilis & ponibilis, non concipitur prior seipsa prioritate præteriti ad futurum.

179. Quod quidem exemplis declarari potest, non solum naturalibus, sed etiam divinis. Nam secundum naturalis & physicæ dependentiæ suppositionem, prius est, ignem v.g. esse calefactivum, quàm calefacientem; nec tamen hæc prioritas est præteriti ad futurum, etiam secundum rationem, quæ non magis calefactionem, quàm non calefactionem fore concipit, quantum est præcisè ex ratione virtutis calefactivæ. Et secundum metaphysicam suppositionem graduum entis, prius est esse animal v.g. quàm hominem, aut brutum determinatè; non tamen est prius prioritate præsentis ad futurum; quia animal ut sic, non magis concipitur ut determinandum per differentiam hominis, quàm bruti. Denique: in divinis pro illo signo originis, quo intelligitur procelso Verbi divini à Patre, aut Spiritus sancti ab utroque, non intelliguntur futura contingentia habere esse futurum determinatè; quoniam, quantum est ex ratione illius signi, non magis sunt futura, quàm non futura; & tamen est prioritas quædam rationis inter signum divini originis, & futuritionem contingentis,

Tomus I.

tamquàm inter originem entis per essentiam, & originem entis per participationem, quarum hæc supponit illam.

Potest ergo Concludit Smising sup. n. 96. in fine) intelligi aliqua prioritas secundum rationem, absque prioritate præteriti ad futurum: utpotè ad quam posteriorem prioritatem requiritur, ut, quàmvis res habeat esse futuritionis antequàm habeat esse præsens tamen pro illo signo rationis, quo jam sibi vendicat futuritionem, detur aliquod principium determinans illam nunc ad futuritionem; quemadmodum ut res habeat esse præsens, opus est, ut detur aliquod principium eam determinans pro nunc ad esse præsens: quæ determinatio non semper intelligitur pro illo signo rationis, quo aliquid supponitur alteri, vel idem sibi secundum diversam rationem, ut ostensum est. Id quod unico verbo dicere possumus, aliquid alteri supponi, & hoc illi postponi, permissivè & præcisivè, non positivè & affirmativè, quia primum non ponit secundum, sed permittit illud esse, & permittit non esse. Sic ille.

His prænotatis, haud difficilis erit solutio argumentorum contrariæ partis. Primum autem argumentum est: In primo signo rationis, in quo nondum determinata est voluntas divina ad alteram partem futuri contingentis, hæc sunt contradictoria: Deus in sequenti signo determinabitur ad producendum mundum v.g. & Deus non determinabitur ad producendum mundum: ergo altera determinatè erit vera; ergo futura: ergo datur decretum futurum; ergo in illo priori cognoscitur à Deo ut futurum; quia Deus cognoscit omne verum. Respondet Felix sup. num. 4. quod illa prioritas non est in quo, sed à quo; & ita in illa non verificantur propositiones; quia neque est unum, neque alterum, solum est esse Dei: sicut neque in signo, in quo est verbum divinum, dicitur quod est futurus Spiritus sanctus. Sic ille. Apposuit Scotus 3. dist. 3. q. 1. §. Si autem, num. 18. Et si arguas (inquit) in primo instanti natura verè intelligitur non iusta (D. Virgo) Dico quod non; sed verè non intelligitur iusta; quia abstrahentium non est mendacium, 2. Physic. non enim omnis intellectus, non intelligens hoc, intelligit non hoc: ut non intelligens hominem esse animal, non intelligit ipsum non animal; quia tunc non possit esse abstractio sine mendacio, auferendo ab aliquo, quod sibi essentialiter inest.

Enimverò non debet alterutrum ex contradictoriis verificari pro quocumque instanti rationis; sed sufficit, ut verum sit pro instanti reali temporis, vel æternitatis: neque enim pro instanti naturæ, quo homo prior est risibilitate, debet esse risibilitas, aut negatio ejus; non primum, aliàs risibilitas non esset posterior naturæ; non etià negatio risibilitatis, quia sic risibilitas non posset ipsi competere. Rogat Aliquis, quid Smis. respondeat ad dictum argumentum? Attendat ad ejus verba: Dico (inquit ille supra num. 30.) pro illo primo signo, quo nondum

Q 2

180.

Potest intelligi aliqua prioritas secundum rationem, absque prioritate præteriti ad futurum.

181.

Primum argumentum. Adversarij.

Dissolvitur per Felicem.

Scotus.

182.

Non debet alterutrum contrariarum verificari pro quocumque instanti.

Rel. Smis. ad d. n. sum.

*Abstractio
modi practi-
sua non
sufficit ad
futuritionem.*

intelligitur voluntas divina determinata ad alteram partem contingentis, falsum esse, quod erit determinata pro sequenti signo; quia non est capax futuritionis, ut ostensum est; & consequenter, contradictoriam ejus, videlicet quod non erit determinata pro sequenti signo, esse veram: solum enim est verum, quod pro secundo rationis signo est determinata, ante quod præsens non intelligitur habere esse futurum; quoadmodum nec intelligitur habere non esse in primo signo; sed solum non intelligitur habere esse pro illo signo, quæ abstractio præcisiva non sufficit ad futuritionem; sed opus esset illa abstractione negativâ, ut dictum est.

*183.
Declaratur
differis ex-
emplis.*

Quod exemplis illustrari potest quorundam, quæ non sunt capacia futuritionis, ut sunt chimera, & similia fictitia; item Deus ut sic, & Personæ divinæ: nam falsum esset dicere, quod chimera erit, quod Deus erit, quod Personæ divinæ erunt; capiendū futurum propriè, quod aliquid erit, posteaquam non fuit: chimera enim non est capax esse, & Deus, divinæque Personæ solum capaces sunt perpetui & præsentis esse. Inter quæ exempla istud de divinis Personis maxime ad propositum facit: quia licet inter illas sit ordo à quo seu originis; non tamen ordo successione inter præteritum, præsens, & futurum: unde nec actus præcisionis inter actus divinæ providentiæ sufficit ad futuritionem alicujus actus talis providentiæ. Hucusque Smising. Igitur primum argumentum Adversariorum parvi est momenti. Nec majoris ponderis secundum sequentis tenoris: Deus prius ratione cognoscit voluntatem suam posse velle, quam eam concipiat ut volentem: ergo etiam prius ratione concipit illam ut volituram, quam nunc volentem. Quemadmodum si Angelus habuisset actum voluntatis ab æterno, Deus cognovisset illum prius ratione, ut voliturum, quam volentem pro alio signo; quia prius cognovisset eum posse velle, quam velle. Respondet Felix sup. quod licet Deus in primo signo cognoscat suam voluntatem posse velle, & illam comprehendat; non tamen cognoscit ut volituram; quia in illo signo voluntas est indifferens ad velle, & non velle; neque est tunc à quo determinetur ad volendum: idem dico de voluntate Angeli. Sic ille.

*184.
Resp. Smis-
Plus requi-
ritur. Et cō-
cipiendum
aliquid tan-
quam po-
nendum,
quam poni-
bile.
Simile de
Angelo.*

Smising autem sup. num. 99. negat Consequentiā: plus enim (inquit) requiritur ad concipiendum aliquid tamquam ponendum, quam ad illud concipiendum tamquam ponibile: nam ad concipiendum aliquid tamquam ponendum, requiritur aliquid determinans ipsum ponibile ad esse ponendum, quod respectu divini decreti non datur pro illo signo, quo concipitur ut ponibile, ut dixi. Estque simile illud de Angelo habente actum volendi ab æterno; quia in priori naturâ, in quo Angelus concipitur præcisè ut potens velle, non est ab aliquo determinatum ejus velle ad alteram partem, nempe quod erit, vel non erit; quia nec ab ipso Angelo est determinatum, qui solum se determinat pro sequenti instanti natu-

ra; nec à divina voluntate est determinatum, quia divina voluntas non prius naturâ, propriè loquendo, determinat velle Angeli, quam voluntas Angeli determinet illud, licet voluntas divina jam determinet prius tempore, quando velle Angeli incipit in tempore. Ratio est; quia illud propriè est prius naturâ altero; quod est causa alterius: at determinatio velle Angelici à Deo, non est causa determinationis ejusdem velle ab Angelo; aliâs Deus prædeterminaret Angelum ad velle: ergo determinatio velle Angelici à Deo, non est propriè prior naturâ determinatione ejusdem velle ab Angelo. At verò tempore illud est prius, quod reali duratione alteri præexistit; quo pacto divinum decretum de volitione Angelicâ, præexistit reali duratione Angelicæ voluntati, & propriè determinationi ejus ad suam volitionem. Hactenus Theod. Atque hæc de secundo argumento.

Venio ad tertium: Deus (inquit Adversarii) ante determinationem voluntatis divinæ, & creatæ, per scientiam conditionatam cognoscit, quid voluntas sit creata in his vel illis circumstantiis constituta: ergo similiter per eandem scientiam conditionatam cognoscit, quid voluntas sit divina voluntas, talibus vel talibus circumstantiis positis. Respondet Smis. sup. in primis; non esse illam scientiam conditionatam in Deo, quâ ante determinationem suæ voluntatis sciat, quid voluntas creata, cum his vel illis circumstantiis constituta, sit voluntas. Deinde dicit; esse disparitatem inter scientiam conditionatam, quod voluntas creata quantum ex se sit voluntas, his aut illis circumstantiis positis; & scientiam conditionatam, quod voluntas divina sit voluntas, his aut illis circumstantiis positis: nam illa scientia supponit objectum suum (scilicet determinationem creatæ voluntatis) esse independentem à divina voluntate, habetque illud objectum (si datur) verè esse futurum; hæc autem supponit objectum suum, nempe determinationem divinæ voluntatis, dependentem à divina voluntate, à qua non potest dependere pro futuro, sed solum de præsentem: & ita per illam scientiam (si datur) potest Deus scire, quid creata voluntas sit voluntas sub conditione; per hanc autem non potest scire, quid divina voluntas sit voluntas sub conditione, sed solum quid velit sub conditione. Ita Smising, & cum ipso Felix sup. num. 5.

Oppositum docet Joannes Poncius in suo Cursu Theol. disp. 5. num. 28. ubi hæc lego: Quantum verò ad futura conditionata, existimo probabilius esse, quod Deus non habeat actu ullum decretum de futuritione eorum, quia omnino videtur superfluum tale decretum: quare talia futura non videntur à Deo in decreto ullo actu existente in ipso, nec ratione talis decreti; sed videntur ratione decreti, quod Deus ex sua infinita scientia videt se habiturum sive positivum, sive permissivum in casu, quo poneretur conditio illa, ratione cuius futurum dicitur conditionatum. Et si quæ-

187.

Conferma-
tin.

188.
Tertium
argum.
Ad opo-
ritum.

189.
Obiectio.

Solutio 1.

Secunda
solutio.

188.

Ad ex D.
fratratia
sequatur
mutabilitas
Dei.

Respondet
Poncius,
quod non.

ras; quid possit determinare Deum ad viden-
dum decretum illud, quod haberet posita con-
ditione illa non ponenda? Respondeo: nihil
proprie ipsum determinare, cum scientia ipsius
sit incausata, & infinita; sed ideo cognoscit se
habiturum tale decretum, quia revera illud erat
habiturus, & scientia ipsius debet ex natura
sua intrinseca terminari ad omne illud quod est
verum. Et plane cognoscit eodem modo futura
absoluta, dependentia à voluntate creata, ratio-
ne concursus habendi, & nondum habiti ab
illa voluntate; etsi ipsemet non haberet ab æ-
terno decretum concurrenti cum voluntate,
sed illud differret usque ad tempus effectus
produendi; videret etiam ab æterno, quod
effectus esset producendus ratione decreti sui,
quod videret ab æterno se habiturum in illo
tempore; nec profusus apparet ulla ratio, cur
deberet decretum existere actu, ut videatur à
Deo; nam cum non debeat habere rationem
objecti motivi, aut concausæ, sed solum ratio-
nem objecti pure terminativi, nullo modo ne-
cessarium videtur, ut realiter existat; sed suffi-
cit, quod existet pro illo tempore aut instanti,
quo videtur futurum. Hucusque præfatus Auctor.

Cui si obieciat: in illo priori, in quo intel-
ligitur voluntas divina potens decernere effe-
ctum ante actualem determinationem, non intel-
ligitur, quid sit determinatura; quia pro illo
priori non est actualis determinatio: ergo non
potest videri à Deo, quid voluntas ipsius sit de-
cretura, aut etiam voluntas creaturæ, antequam
sit actu decretum divinum, aut aliquid aliud ac-
tuale necessarium exigens illud decretum. Ad
hanc, inquam, objectionem, responder Poncius
n. 31. Primò, neg. Consequentiam; & dispa-
ritas (inquit) est; quia videri pro illo priori in-
volvit, quod sit pro illo priori, ut patet ex ipsa
explicatione terminorum; sed videri realiter
aliquid hoc tempore, aut ab æterno, non in-
volvit, quod illud, quod videtur, sit realiter ab
æterno; sed sufficit quod sit vel erit pro aliqua
temporis differentia. Respondet secundò, neg.
Antecedens pro secunda parte; sed potius ratio
adæquata est; quia non est secundum esse futu-
rum pro illo priori; sed decretum divinum
quàmvis non esset ab æterno secundum esse
actuale; esset tamen secundum esse futurum,
& sic ab æterno posset videri. Ita Poncius.

Et si inferas: ergo Deo in tempore potest
advenire aliquid decretum, non tantum de fu-
turis conditionatis, sed etiam absolutis, quod
ab æterno non habuit: hoc autem videtur po-
nere in Deo mutabilitatem. Respondet n. 32.
sicut non mutaretur Deus, si voluisset ab æter-
no, quod posset velle, & non voluit, ut v. g.
creare alium mundum, salvare Judam, impedire
adventum Antichristi: ita sanè non deberet
mutari, si vellet in tempore, quod non voluit
ab æterno: neque maiorem mutabilitatem ar-
guit habere in tempore, quod non habuit ab
æterno, quàm potuisse ab æterno habere ali-
quid, quod de facto non habuit ab æterno. Sic
ille. Interim, quia æquè potest habere ab æter-

no decreta illa, quæ haberet in tempore, nec est
ulla ratio, cur ea differat; melius (inquit ille)
apparet, ea non differre; sed habere illa ab æ-
terno. Quinimo, reponit quispiam, est ratio
differendi; quia per decretum æternum tollere-
tur libertas: nam decretum illud antecedit ex-
ercitium libertatis, & eo supposito, necessario
sequitur illud exercitium; ergo Deus non ha-
bet tale decretum.

Negat Poncius sup. quod ad ipsum (est foret
positivum & concursivum) necessario sequatur
exercitium libertatis creatæ, seu actio libera
ipsius; sed potius (inquit) simul cum illo de-
creto ponitur pro eo instanti, quo effectus est
liberè producendus; unde decretum illud, qua-
tenus habet vim influeadi in effectum, est con-
comitans concursum voluntatis, & nullo modo
nec antecedens naturam, nec subsequens ipsum.
Quod autem sit ab æterno, & consequenter
tempore etiam antecedens concursum volunta-
tis, nihil facit ad rem: nam non habet aliquem
influxum in effectum, neque in voluntatem,
quatenus præcedit tempore; sed solum quate-
nus existit pro illo instanti temporis, quo pro-
ducitur actus liber; unde si existeret ab æter-
no, & non existeret in illo instanti, nihil pro-
duceretur; & si existeret in illo instanti, & non
existeret ab æterno, effectus produceretur.

Et quod decretum sit ab æterno, oritur, non
ex eo, quod illa præcessio ipsius faceret aliquid
ad determinationem causæ; sed, vel quia Deus
non posset habere decretum novum in tempo-
re, quia sequeretur in ipso mutabilitas, ut Multi
putant: vel quia, ut ego existimo, non est ulla
ratio, ob quam deberet suspendere suum de-
cretum ab æterno usque ad tempus producen-
di effectum. Hucusque præfatus Auctor. Igi-
tur decretum istud non impedit libertatem,
quia quàmvis effectum antecedit tempore, &
effectus infallibiliter sequatur; haud equidem
ex vi istius decreti, quasi decretum illud ante-
cedens moveret vel determinaret voluntatem
ad talem effectum, ita ut non posset eum non
ponere. Omittò, quod (ut notat Poncius sup.
n. 33.) decretum Dei ab æterno sit dependens
à futuratione effectus; neque enim Deus ha-
beret decretum ab æterno, nisi quia creatura
erat simul eum concursu Dei habitura effectum
tali tempore. Plura de hac re alibi.

Ceterum, tamen ex ratione naturali diffi-
culter posset ostendi, quare Deus nequeat in
tempore aliquid velle, quod antea non vole-
bat, sine mutatione suæ substantiæ, ut bene ad-
vertit Smiling tract. 2. disp. 3. nu. 45. nihilo-
minus per locum extrinsecum (juxta dictum
Auctorem n. 48) supposita infinitate intellectus
& voluntatis divinæ, patet, ex mutabilitate ter-
minativa, securam in Deo mutabilitatem
physicam. Quoniam (inquit) si Deus non
cognosceret & vellet immutabiliter terminativè
objectum immutabile, non cognosceret nec
vellet omne intelligibile & volubile; & sic non
haberetur intellectum & voluntatem infinitam, &
consequenter non esset, ens necesse esse, nec
Deus.

Q 3

Interim pu-
tat Deum
ab æterno
habere om-
nia decreta.

189.
Per hoc non
tollitur li-
bertas, ex
eo. Aucto-
re.

Probat.

190.
In quo ori-
atur, quod
decretum sit
ab æterno.

Effectus non
sequitur ex
vi istius de-
creti.

191.
Ex quo pro-
bat, Deum
non posse in
tempore
velle ali-
quid novum.
Smiling.

Quomodo
hic intelli-
gendi SS.
Patres.

D. Aug.

Deus. Sic ille. Et prosequitur dicens: Atque hoc pacto intelligendi Sancti, cum ex eternitate, & immutabilitate physica in Deo, concludunt immutabilem terminationem intellectus, & voluntatis divinæ, ut D. Aug. 12. Confess. c. 15. ubi de vera eternitate creatoris ait: Quod nequaquam ejus substantia per tempora varietur, nec ejus voluntas extra ejus substantiam sit; unde non eum modo velle hoc, modo velle illud; sed semel, & final, & semper velle omnia, quæ vult, non iterum & iterum, neque nunc ista, nunc illa, neque velle postea, quod volebat, aut nolle, quod prius volebat; quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est, Deus autem noster æternus est. Et 13. Confess. c. 16. Sicut omnino tu es, ita scis solus, qui es incommutabiliter, & scis incommutabiliter, & vis incommutabiliter. Greg. 16. Moral. c. 17. Sicut immutabilis natura est, ita immutabilis cogitatione. Et hæc ratio à posteriori in PP. Scriptis fundata cum Scripturis sufficit; nec illa ratio ab immutabilitate objecti, vel alia à priori mihi satisfacit; nec tam demonstrabilem nobis, quam creditam esse censeo prædictam immutabilitatem. Hæc tamen Theod.

192.

Sicut decre-
tum absolu-
tum est ab
æterno, ita
etiam con-
ditionatum.

Cumque SS. Patres non distinguant inter volutionem conditionatam, & absolutam, si decretum absolutum est in Deo ab æterno, quidni etiam omnia decreta conditionata? Proinde sicut non datur decretum decreti absoluti, ita neque decreti conditionati, si tale in Deo datur; cum enim Deus ab æterno videat omnes circumstantias, in quibus creata voluntas est ponenda, & ejus quoque determinationem, nulla potest assignari ratio differendi decreti sui, etiam conditionatum, ad tempus futuri effectus. Dixi consilio: Si tale datur; quia existimo plane, hujusmodi non dari, ut patebit ex dicendis Sect. septima. Præmitto adhuc unam Conclus. pro fine præsentis Sect. quæ sic sonat.

CONCLUSIO VII.

Peccatum futurum cognoscit Deus
in sua essentia, posito decreto
sue voluntatis circa illud: quod
tamen decretum non impellit.

193.

Probatur ex
ratione Dei
cognoscere
peccatum
futurum.

Peccatum futurum cognosci à Deo, ab omnibus admittitur, & sup. probavimus ex auctoritate D. Aug. Ratio est manifesta; quia cognoscibile est, ergo ab intellectu divino, qui est infinitæ virtutis, & potest, & verò debet cognosci. Sed cum Deus non sit auctor peccati, ut disp. sequenti latius dicitur, ubi de providentia divina circa peccata: quæstio hæc est, an doctrina sup. tradita de visione futurorum in essentia divina, posito decreto sue voluntatis circa illa, etiam ad peccata futura se extendat. Equidem sententia affirmans videtur esse

Probatur ex
Scoto, quod

Scoti 1. diff. 41. q. uni. num. 13. ubi sic ait:

Sed adhuc contra istud instatur; quia Deus certitudinaliter non provideret Iudam esse malum secundum istam viam: nam sola permissio alicuius actus, & certitudo de permissione, non facit certitudinem de illo actu; quia oporteret habere aliquam causam effectivam: igitur ex hoc solo, quod Deus præscit, se velle Iudam permittere peccare, non erit certus de Iuda peccaturo, vel Iudam esse peccatorem. Vel loquamur de Angelo bono, & malo, qui non erant in peccato originali, ex hoc, inquam, solo non videtur, quod sciat Luciferum esse peccatorem; & ex hoc solo (ut videtur) non offertur sibi Lucifer, ut peccator. Præterea; quid est illud velle permittere Luciferum peccare? Si hoc est aliquis actus positivus voluntatis respectu peccati: igitur videtur, quod vult cum peccare: si non est actus positivus respectu actus peccati, sed respectu actus permissionis, tunc erit actus reflexus, & tunc erit querere de ista permissione, quis actus sit. Si actus positivus voluntatis, ergo videtur adhuc, quod Deus habeat actum positivum respectu peccati, quod permittit. Ita tibi objicit Scotus.

Respondet autem ad primum, dicens: Primum istorum solvitur per hoc, quod Deus præscit se cooperaturum Luciferi ad substantiam illius actus, qui erit peccatum: hoc autem præscit, quia vult cooperari illi, si est peccatum commissionis, vel præscit se non cooperaturum ad actum aliquem, si non vult ipsum, & hoc si iste actus primus est peccatum omissionis: & sciendo, se cooperaturum ad talem substantiam actus, cum non circumstantiis debitis, vel non cooperaturum ei ad actum necessarium, & per consequens, quem omittet, sciet illum peccatum; ita quod scit illum peccatorem, non solum, quod scit se permissurum; sed etiam, quia scit, se cooperaturum huic ad substantiam actus non circumstantiati, & per consequens iste committet; vel non cooperaturum ei ad actum necessarium, & per consequens iste omittet. Hucusque Doct. Subr. Confimiliter loquitur dist. 47. n. 3. Ad primum (inquit) argumentum dictum est dist. 41. quomodo non est prævisio Dei de peccato futuro per hoc solum, quod scit, se permissurum hunc peccare finaliter, & sic finaliter dammandum: sed cum hoc requiritur, quod sciat se cooperaturum isti in actu peccandi, vel non cooperaturum ad actum illum, cuius omisio erit peccatum omissionis; concomitatur tamen utramque istarum permissionum, Deum prævidere, se non velle prohibere hunc peccare; & ita patet, quomodo permissio divina sit actus voluntatis, & quomodo non. Ergo, secundum Scotum, Deus videt peccatum futurum in sua essentia, posito decreto sue voluntatis circa illud. Rogas: eequod illud decretum? An forte sufficit sola permissio peccati? Suppono (inquit Felix de scientia Dei cap. 5. diff. 3. num. 12.) permissionem peccati consistere in collatione auxilii sufficientis, ut efficiatur bonum oppositum peccato; & in negatione auxilii efficacis ad tale bonum. Hoc supposito, respondet cum Scoto jam citato, negativè: nam, inquit, etiam requiritur, quod sciat Deus se cooperaturum ad actum materialem peccati, vel non cooperaturum ad actum bonum, cuius omisio erit peccatum omissionis. Felix.